JOSEPHI CASTALIONIS QUATTUOR CARDINALES A CLEMENTE 8...

Giuseppe Castiglione

PETRO ALDOBRANDINO CARDINALI

IOSEPHVS CASTALIO S. P. D.

PRAECLARA *Imperatoris Helui Pertinacis vox mihi ſemper eſt viſa, qui Senatui Pertinacem filium Cæſarem appellanti, cum meruerit, reſpondit. Clementis vero octaui optimi, & ſapientiſſimi Principis factum illuſtrius enituit. Non enim ſimulatque Pontifex maximus factus eſt, te fratris filium optimis moribus, egregia indole, eruditione, ac pietate ſingulari præditum aut in Cardinalium Collegium cooptauit, aut ad vllam reip. partem, adminiſtrationemve adhibuit. Illud plane admirabile fuit, te iuuenẽ vndecumque ornatiſſimum Patruo ad ſummum rerum apicem euecto, diu extra aulam priuate vixiſſe priuata indutum veſte, atque adeo ea ipſa, qua ante tantam amplitudinem, maieſtatemq. vtebaris. Quod vmquam cuiquam vſuueniſſe meminerat nemo. Neque vero prouidentiſſimo Principi ſatis videbatur, te à puero apud ſe fuiſſe, atque laudabiliter vitam inſtituiſſe. In nouo rerum ſplendore, ac faſtigio nouum de conſtantia tua, deq. omni reip. gerendæ officio periculum eſſe faciendum ſtatuerat. Quippe qui populi vtilitatem quauis cognatorum neceſſitudine antiquiorem nemini temere credendam*

dam cenſeat. Quare negotijs te paulatim grauioribus admonuit, ſatiſque ſpectatum quaſi per gradus ad Cardinalatum omnibus flagitantibus altero Pontificatus ſui anno perduxit. Quis te aut ambitioſe tantum honorem appetiſſe, aut diu prolatum moleſte tuliſſe, aut patrui iudicium ea in re improbaſſe vmquam intellexit? Quis denique te vel lætitia exſultantem, vel elatiorem factum tanti honoris acceſſione animaduertit? Utinam ea eſſet orationis meæ vis, & copia, vt magnam patrui tui prudentiam, tuamq. æquabilitatem & animi moderationem ſi non ornare, ſaltem recenſere pro dignitate poſſem. Efficerem profecto, vt præclarum quidpiam legeretur. Sed quando ingenij mei vel nulla omnino eſt vena, vel perexigua, neque tamen tacitus colere, ac ſuſpicere tantam excellentiam, præſtantiamq. poſſem, poëma perbreue de Promotione ſapiēter excogitata, & ſummo omnium ordinum conſenſu celebrata compoſui. Ubi Cardinalium cooptatorum laudes, & populi Romani, totiuſq. Italiæ gratulationem attigi. Id qualecumque eſt, tuum eſt, cui me ipſum, & mea iampridem addixi. Uale ſæculi noſtri decus xvij. Kal. Nouemb. CIↃ. IↃ XCIII.

IOSEPHI CASTALIONIS
QVATTVOR CARDINALES
A CLEMENTE VIII
PONT. MAX. CREATI

CONSCRIPTOS nuper Patres, noua lumina mundi
Fert animus memori complecti carmine. Vos ò
Delecti proceres Romanis addita rebus
Præſidia, optanti veſtras percurrere laudes
Aſpirate pij, vireſq. in carmina ferte.
Altera iam meſſis feſſum recreauerat orbem,
Ex quo ſublimis ſolium perlatus in altum
Tergeminum capiti gemmis diadema coruſcum
Induit,& rerum CLEMENS aſſumpſit habenas.
Amiſſis Patrum multis decreuerat ordo
Purpureus, raroq. nitebat Curia cœtu.
Maximus adduci Paſtor rationibus vllis

Haud

Haud poterat tamen, Auſoniæ vt noua pignora terræ
Sufficeret, lectosq. ornaret murice Patres.
Ne conſanguineos extollere honoribus, & ne
Tanta videretur ſoboli mandare ſuorum
Munera, cognati victus dulcedine amoris.
Namq. Pater genibus poſitis cum ſumeret & orbis
Frena, & CLEMENTIS faceret ſibi nomen ad aram,
Magnanimo tales effudit pectore voces.
Rerum opifex, hominumq. Deus reparator, & auctor.
Si ſudore meo tua gloria quæritur, & ſi
Certa tuæ per me quæruntur commoda plebi,
Sint rata Concilij de me ſuffragia tanti.
Sin autem propriumve decus, laudemve meorum,
Aut animus ſpectat generis compendia noſter,
Ne liceat preſſis vllas educere voces
Faucibus, imperijve admittere credita iura.
Hæc recolens precibus geminas obſtruxerat aures.
Non illum noti, non illum flectere Reges,
Non primi potuere Patrum, non publica vota.
Ergo hic, ingentem cui Romam cura tueri
Aliger ingreſſus penetralia celſa parentis
Auguſtum claro reſperſit lumine tectum,
Taliaq. ætherio deprompſit pectore verba.
Salue hominum cuſtos, magni moderator et orbis,
Cui mandante Deo parent ſtellantia cæli
Mœnia, & inferni ſubſternitur aula tyranni.
Quo decet vſque nouo fraudari murice Romam,
Et deſiderio decoris tabeſcere læti?
En tibi fert mores acceptos illa pudicos,

Otia-

Otiaq. expulſis latronibus vndiq. tuta.
Eſt & maieſtas per te ſua reddita templis,
Et metus,& rerum reuerentia priſca ſacrarum.
Lætitiis,orat,cumules cæleſtia ſupplex
Dona nouis,latiæq. feras noua gaudia terræ.
Sunt hic præſtantesq. viri, & te Principe digni,
Romuleæ queat inniti queis gloria gentis.
Quem LVCI lateat virtus celeberrima SAXI,
Et longum ſpectata fides Romæq. foriſque?
Suſtinuit primis vt magna negotia ab annis,
Vt ſenio verſat confectus pondera rerum?
FRANCISCI cui non facundia nota TOLETI,
Et magnis altæ quæſita laboribus ingens
Gloria doctrinæ,mentiſq. ſimillimus ori
Candor,& æternum pietas memoranda per æuum.
Quid PETRVS Aeneadũ columen, quid CYNTHIVS
Tutamen,meritis clari & virtutibus ambo, (vrbis
Ambo animis,ſanctis inſignes moribus ambo?
Obfuit his tantum,quod profuit omnibus olim.
Quod pulchro propius tangunt te ſanguine iuncti.
ALDOBRANDINVM quam ſurget in aurea nomen
Aſtra per hos iuuenes,populis bona quanta parantur?
Hos lege,purpureoq. aduela hæc corpora amictu.
Quattuor his patribus ſubſellia ſacra ſenatus
Nunc auge,atque ad res præſtantibus vtere magnas.
Hæc ait, inq. auras nitidis ſe ſuſtulit alis.
Tum Princeps in tecta Patres vocat optimus alta;
Egregioſq. viros cunctis plaudentibus oſtro
Ornat,& ad ſummi faſtigia tollit honoris.

Serue-

Feruere lætitia Romam,totamq. videres
Heſperiam, fremituq. virum & clangore tubarum
Perſultare iuga,& tonitru cæleſtia crebro
Templa quati,totoq. faces diſcurrere cælo.
Inuoluiq. vias flammis crepitantibus omnes,
Culminaq. & multo fulgentes igne feneſtras.
Nunc noua feſtiuis collucent ſtemmata ſertis,
Stemmata purpureis pulchre redimita galeris,
Lætanteſq. nouis rident inſignibus ædes.
Hinc in luce noua radiantia Sidera ſurgunt,
Hinc Roſa, & hinc fulget venerabile nomen IESV.

F I N I S.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA